Disputatio Prima

de Universalibus, eorumque distinctione à particularibus.

Articulus Primus.

Universale, ut ipsum Nomen indicat, est unum versus alia, seu unum respiciens multa. Quia verò unum variis modis, iisque pluribus possit respicere multa, seque ad illa extendere; hinc quoque variè dividitur universale. Aliud igitur universale est in causando, aliud in repraesentando, aliud in significando, aliud in essendo. Universale in causando est, quod respicit plures effectus per causalitatem, ut v: g: Deus, Sol et Astra. universale in repraesentando est illud, quod plura repraesentat, ut v: g: Speculum. Universale in significando est signum aliquod, quod plura significat, ut v: g: populus, Gens &c. vel voces communes, ut homo, animal &c. Universale in essendo dicitur, quod est unum et aptum ad inessendum multis, et hoc universale vocatur metaphysicum. vel denique sive unum praedicari de pluribus, et tunc vocatur universale logicum. In praesenti duntaxat de duobus ultimis, metaphysico scilicet et logico sermo nobis erit.

I

Definitur itaque universale metaphysicum, quod sit unum aptum inesse multis per identitatem et sese multiplicare. logicum vero: quod sit unum aptum praedicari de multis.